

INFIRMITAS.

1. Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humane tractandus est: qui autem falsam pretendit, et convinci non potest, Deo dimittendus est. *August. de opere monachor.*

2. Corporis debilitas nimia etiam vires animæ frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit. Quicquid cum modo et temperamento sit, salutare est. *Hier. in quadam epist.*

3. Considerata infirmitas propria, nobis excusat aliena. *Greg. lib. 4. moral.*

4. Quosdam præsciens Deus multa peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent, ut eis utilius sit frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem. *Hug. lib. 2. de anim.*

5. Quidam pro libito suo vivunt, et semper sunt vegeti, quidam à regulis Hypocratis non deviant, et assidue sunt infirmi. *Pet. Rav. in quadam epist.*

6. In omni morbo tria gravia sunt: metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatis. *Sen. 72. ep.*

7. Morieris, non quia ægrotas, sed quia vivis. Quum convalueris, non mortem, sed valetudinem effugies. *Sen. ibid.*

8. Nihil æque sanitatem impedit, sicut remedium crebra mutatio: non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil magis ægris prodest, quam ab eo curari, à quo voluerint. *Sen. in ep. 2.*

9. Bona valetudo jucundior est eis, qui de gravi morbo curati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt. *Sen. in ep.*

10. Bene dormit, qui non sentit, quam male dormit. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 30, 32. in tit. Consideratio, núm. 10. in tit. Dolor, núm. 4. in tit. Gaudium, núm. 5. in tit. Gratia, núm. 2. in tit. Gula, núm. 15. in tit. Medicina, núm. 7. in tit. Senectus, núm. 6.

INIMICITIA.

1. Ea eleemosyna nihil est majus, quam quod ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus igitur bonum est erga eum esse benevolam, qui tibi nihil mali fecit. Illud multo grandius et manifestissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et qui tibi malum vult, et si potest, facit, tu semper ei bonum velis, faciâsque quod possis. *Aug. in Enchir.*

2. Quamdiu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei. Esto tibi amicus, et concordas cum ipso: sicque non solum nihil perdidisti, sed et teipsum, qui perieras, invenisti. *August. de verb. Dom. ser. 21.*

3. Si is, qui non relinquit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus: quanto magis qui diligit ejus inimicos, acceptus Deo esse poterit? Ipsi enim graviores inimici facti sunt. *Amb. super Beati immaculati.*

4. * Inimicitia vitandæ cautissime, ferendæ æquissime, finiendæ cillissime. *Aug. lib. 2. deor. c. 8.*

5. Virtus est coram hominibus tolerare inimicos, sed virtus coram Deo diligere, quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante oculos ejus in altari boni operis charitatis flamma incendit. *Greg. in past.*

6. Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse est, et quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, et vitæ prodesse. *Greg. ibid. Perfecto odio oderam illos.*

7. Humana mens omnem quem inimicum tolerat, etiam iniquum et impium putat. *Greg. in moral.*

8. * Frustra exteriores inimicos vincimus, si interioribus parcimus. *Greg. lib. 30 moral.*

9. Ubi amicitia permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur, quo dissidium possit operari. Si vero inimicitia semel occupaverint animos, omnia quæ fiunt, que dicuntur, ita accipiuntur et intelli-

guntur, ut ad majores et longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur, si quid autem mali, hoc solum creditur et confirmatur. *Chrysost. in lib. de compunctione cordis.*

10. Gravissimum inimicitiae genus, esse corde adversarios, et lingua simulare devotos. *Cass. super Psalm. 54.*

11. Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. *Boët. 5. de consolatione.*

12. Tacitae inimicitiae magis tuendae sunt, quam indictae et apertae. *Cicer. in verb.*

13. Quid est homini inimicissimum? alter homo. Inimicitias tarde suscipe, amicitias moderate exerce. *Senec. lib. 4. de moribus.*

14. Cum inimico nemo in gratiam cito redit, de inimico ne dixeris male, sed cogites: gravior est inimicus, qui latet in pectore, gravior malum est omne, quod sub aspectu latet. Inimicum ulcisci, vitam est accipere alteram. Inimicum quamvis humilem, docti est metuere. Inimicum cum retineas exire incites. Quidam occiderunt quosdam inimicos, non quia habebant, sed quia metuebant. *Senec. in prov.*

15. Nullae sunt occultiores insidiae, quam haec, quae latent in simulatione officii, aut in aliquo celsitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis et Trojanos equus idcirco fefellit, quia formam misericordiae mentitus est. *Bernard.*

16. Sumere vindictam ex inimico, si te inimicum senserit, perdidisti: gravior adversarium securitate decipies: nocere nescit, qui se velle nocere proderit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 5. in tit. Amicitia, núm. 8, 25, 26, 40, 42. in tit. Dilectio, núm. 14. in tit. Divitiae, núm. 2, 7. in tit. Mirabile, núm. 6. in tit. Odium, núm. 16. in tit. Oratio, núm. 34. in tit. Venia, núm. 6.

INGENIUM, ET ARS.

1. Nihil per aliquod ingenium ita adstruitur, quin ita acre ingenium econtra inveniat. *Aug. in ser. Glo.*

2. Apis acriter pungit, et mel conficit: sic in parvo corpore anima ingeniosa et acerrima viget, et doctrinae suavilatem profert. *Hier. super ill. Eccl. 11. Brevis in volatilib. apis, etc.*

3. Ingenii acumen, vel tarditas praemium vel poenam in futuro non collocat. *Hier. in epist.*

4. Abscondere talentum in terra est, acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, et non lucrum spirituale acquirere. *Chry. super ill. Matth. 25. Abiens fodit in terram.*

5. Dum ingeniosi per negligentiam in malis remanent, simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda regni aeterni moenia, virtus operationis levat. *Greg. super illud Prov. 50. Stellio manibus nititur.*

6. Semper in robusto et vegelo corpore animus mollior jacet, atque tepidum cor, et rursus in corpore debili et infirmo fortior viget et promptior spiritus. *Bern. in apolog.*

7. Sicut qui tardus est ad capiendum, pro intentione tamen boni studii praemium percipit: ita qui praestitum ex Deo sibi ingenium negligit, condemnationis reus existit: quia donum, quod acceperat, despicit, et per desidiam derelinquit. *Isid. de sum. bon.*

8. Qui Dei judicio donum scientiae, quia negligunt, accipiunt, ut durius de rebus credulis puniantur: tardiores autem, ideo quod scire cupiunt, difficulter inveniunt, ut pro maximo exercitio laboris, maximum praemium habeant retributionis. *Ibidem.*

9. Potest ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere: potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus magnus exire. Non enim deformitate corporis fedatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. *Senec. epist. 77.*

10. Nullum ingenium potest esse magnum ante-

quam habeat aliquid admistum de furia. *Sen. de tranquillitate animi.*

11. Non semper ingenii vena respondet ad volum: et quandoque dicta laudabiliora casualiter scribenti se offerunt, quæ per studii vehementiam, et indaginem laboriosæ meditationis inveniri non possunt. *Pet. Rav. in quodam epist.*

12. Acutiora ingenia, et ad intelligendum apertiora eorum qui terras incolunt eas, in qui us aër sit purus ac tenuis, quam eorum qui uluntur crasso cælo atque concreto, quin etiam quo utaris cibo, interest ad mentis aciem. *Cicer. 2. de Nat. Deor.*

13. Magno consilio factum est, ut post hominis casum, non illico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus primum hominem in libertate sua in lege naturali: ut sic vires naturæ suæ cognosceret, ubi cum deficeret, legem accepit: qua data invaluit morbus, non legis vitio, sed naturæ, et ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum et diceret: *Exurge Domine adjuva nos. Bern. in meditationibus suis.*

Vide etiam in tit. Exercitatio et Sobrietas, num. 2. in tit. Studium, num. 5, 6, 30, 31. in tit. Vita, num. 4.

INGRATITUDO.

1. Qui se dicit scire quod nescit, temerarius est: et qui se negat scire quod scit ingratus est. *August. serm. de ascensione.*

2. Sicut boni per contumelias meliores existunt: ita semper reprobi de beneficio pejores fiunt. *Greg. in moral.*

3. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ. *Bern. super Cant.*

4. Gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modo nihil agetur ingrato, sed quod accepit, vertitur ei in perniciem: fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. *Bern. ser. 55.*

5. Perversi cordis est, occasiones ingratitude investigare: nemo id facit, nisi qui etiam gratis est ingratus. Peremptoria res est ingratitude: hostis gratiæ, inimica salutis: quoniam nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitude. *Bern. serm. 12.*

6. Est superbia et delictum maximum, uti datis tanquam innalis, et in acceptis beneficiis gloriam usurpare beneficii. *Bern. de diligen. Deo.*

7. Quanto majora beneficia sunt hominibus constituta, tanto graviora peccantibus judicicia. *Chrys. super Matth.*

8. Nihil est quod adeo indignationem provocet altissimi, sicut ingratitude: ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, meritum exterminatio. *Pet. Rav. in quodam epist.*

9. Est enim benignissimi, ut arbitror, et pleni ingenii pudoris, fateri per quos profeceris: obnoxii profecto animi et felicitatis ingenii deprehendi in furto male, quam mutuum reddere, cum præsertim fiat ex usura sors. *Plin. in prolog. de nat. hist.*

10. Gratiarum actio est, pro gratia suscepti muneris nociva munerantis laudatio. *Tull. de Offic.*

11. Gratias Deo agere est, totum Deo, et nihil homini attribuere. *Hugo.*

12. Ingratus est adversus unum beneficium, adversus alterum non erit: duorum oblitus est, tertium in memoriam eorum, quæ exciderunt, reducet. *Sen. 1. de benefic.*

13. Quidam quo plus debent, magis oderunt, leve æs alienum, debitorem facit gravem inimicum. *Sen. 48. epist.*

14. Querere incidisse te in hominem ingratum: si hoc periculum vitare volueris non dabis beneficia: ita ne apud alium pereant, et apud te peribunt. *Ibidem.*

15. Ingrati esse videmus, non aliena causa, sed nostra. Venenum quod serpentes in alienam perniciem proferunt sine sua continent. *Ibidem.*

16. Torquet se ingratus et macerat: oditque ac-

cepta, quia redditurus est, et extenuat, injurias vero dilatat atque auget. *Ibidem.*

17. Quid autem est miserius, cui beneficia excidunt, hærent injuriæ? *Ibidem.*

18. Quæris, quid sit, quod oblivionem nobis acceptorum faciat? cupiditas accipiendorum cogitamus, non quid impetratum, sed quid petendum sit: nescimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. *Ibidem.*

19. Eo productus est furor, ut periculosissima res sit, beneficia in aliquem magna conferre: nam quia putat turpe non reddere, non vult esse cui reddat, habe quod accepisti, non repeto: non exigo, profuisse tutum est. *Ibidem.*

Vide etiam in lit. Beneficia, núm. 18, 20, 21, 29. in lit. Compassio, núm. 10. in lit. Gratitude et Liberalitas, núm. 23. in lit. Malitia, núm. 2.

INJURIA.

1. Contumelia est, dictis vel factis turpia inferre. *August.*

2. Qui non repelit à socio, si potest injuriam, tam est in vitio, quam ille, qui infert. *Ambr. de Offic.*

3. Non in Dei injuria benigni sumus, et in nostris contumeliis exercemus odia. *Hier. lib. 5. super Matth. Si pecca.*

4. Meam injuriam patienter sustinui: impietatem contra Deum ferre non potui. *Hier. in epist. ad Cyp.*

5. Tunc illata vitia bene toleramus, quum ex secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspiscimus: qua pejus est, murmuramus. Sicque fit, ut contumeliis gratia magis, quam ira debeat: quarum interventu Deo judice, pœna gravior declinari posse confiditur. *Greg. lib. 50. mor.*

6. Gloriosius est injuriam tacendo fugere, quam respondendo superare: et si servus convitium dicat, justus taceat: et si infirmus injuriam faciat, justus suf-

ferat: et si pauper criminetur, justus non respondeat. *Ibidem.*

7. Patienter quippe illatam injuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc et se habeat, in quo ipse debeat tolerari, et quasi aqua ignis exlinguitur, quum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur: quia erubescit peccatis non parcere qui Deo vel proximo sæpe recolit parcenda peccasse. *Greg. in moral. lib. 5.*

8. In propriis injuriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, impium est. *Chrys. super Matth.*

9. Parva verba multoties homicidium perpetraverunt, et civitates integras everterunt. Nunquam parum æstimes fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam, et intellectum quo homines sumus, et ab irrationabilibus distamus. *Chrys. super illud Matth. Qui dixerit fratri suo.*

10. Quicquid à quolibet hominum passi fuerimus injuste, aut remissionem accipiemus omnium peccatorum, aut si tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honorabimur coronis. *Chrys. ho. 9.*

11. Si vindicare vis, sile, et funestam ei dedisti plagam. *Chrys. super Matth.*

12. Discamus exemplo Christi nostras injurias magnanimiter suslinere: Dei autem injurias, nec usque ad auditum sufferre: nam si injuriis propriis patientiam tenere laudabile est, injurias autem Dei patienter suslinere, nimis impium est. *Ibidem.*

13. Injuria est, verbo vel facto cum aliquo injuste agere: exprobrare est in faciem maledicere. *Isid. in sym.*

14. Gravissimum genus injuriæ est, usque ad pedem contumeliæ pervenire. *Chrys. super illud Psalm. Conculcaverunt.*

15. Nescio quis nostrum possit implere, ut laceatur opprobriis fama nostra, et exultemus in Domino. Eleganter enim in quodam volumine legimus, quod si non quæras gloriam, tamen dolebis, quum inglorius

fuert. *Rab. super ill. Matth. 5. Gaudete et exult.*

16. Ultra felicitatem constat esse victoriæ, inimicum salvum fecisse, nec injuriam vindicasse. *Val. epist. in quodam serm.*

17. In omni injuria multum interest, utrum perturbatione animi, an consultè fiat. Perturbatio plerumque brevis est et ad tempus: ideo leviora sunt, quæ repentino motu accidunt, quam ea quæ præmeditata inferuntur. *Tull. in Rhet.*

18. Vindicatio est per quam vis, aut injuria et omnino quicquid obscurum aut ignominiosum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. *Ibidem.*

19. Qui non defendit, nec obsistit injuriæ, si potest, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. *Tull. de Offic.*

20. Turpe est maxime homini virtuoso refricare injurias, et odiorum sopitos cineres denuo suscitare. *Tull. de amicis.*

21. Memoria beneficiorum fragilis, injuriarum tenax. *Sen. in pro.*

22. Injuria injuste irrogata, ejus infamia est, qui fecit. *Sen. in pro. philos.*

23. Viri boni est scire pati, nec facere injuriam. *Ibidem.*

24. Difficile est injuriam convenire cum patientia. *Ibidem.*

25. Duplicat dolorem sustinentis, indignitas inferentis: intolerabileque fit malum, cujus auctorem turpe sit confiteri. Solatium enim mali est dignitas adversantis, duplicatur dolor, quum ab eo, à quo non merueris, venit. Tanto magis injuria est affectior, quanto proximus est, qui facit. Si aliena temerè protuleris vitia, tua intempestivè audies crimina. *Ibidem.*

26. Injuriam irrogatam ait ejus esse insaniam qui fecit, discedens à maledicente sibi ait: ut tu linguæ tuæ, sic ego mearum aurium sum dominus. *Ibidem.*

27. Contumeliam nec fortis potest, nec ingenuus pati. Grave crimen etiam leviter quum est dictum, nocet. Heu quam miserum est, ab illo lædi, de quo

non possum credi? Injuriarum remedium est oblivio. In calamitoso risu etiam injuria est. Multis minatur, qui uni facit injuriam. *Sen. in prov.*

Vide etiam in tit. Humilitas, núm. 6. in tit. Ira, núm. 27. in tit. Miseria, núm. 6. in tit. Stultitia, núm. 5. in tit. Venia, núm. 1.

INNOCENTIA.

1. Illa est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. *Aug. super Psalm.*

2. Vera innocentia est, ubi integritas sine peccato, venditio est sine debito, flagellum sine merito. *Aug. super Psal. 38.*

3. Quis est innocens? qui cum aliis non nocet, nec sibi nocet. Qui enim et sibi nocet, non est innocens. *August.*

4. Innocentia et integritas levi sorde violatur aspersa, et gratiæ suæ munus amittit. *Ambr. in Hexam.*

5. Sicut parvulus non perseverat in iracundia, non læsus meminit: non videns pulchram mulierem delectatur: non aliud cogitat, et aliud loquitur: sic et nos, nisi talem habuerimus innocentiam, et animi puritatem, regna cælorum non poterimus intrare. *Hier. super illud Matth. Quicumque humiliaverit se.*

6. Innocens inter ipsa tormenta fruitur conscientia bono, et inter malignitates quum de pœna meluit, de innocentia gloriatur. *Hier. ad Demetri.*

7. Immediocris est titulus virtutis, inter pravos vivere bene: et inter malignantes innocentia relinere candorem, et morum lenitatem. *Bern. super Cant.*

8. Gaude de innocentia, et exulta: gaude inquam, quia ubique illæsa est, ubique secunda. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis, si occideris, coronaris. Tu in servitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta: tibi omnis reatus adjicitur: tibi universa militia subjugatur: te potentes honorant: suscipiunt principes, magnates exquirunt: et illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant. Tibi

boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec unquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines iudex justus defuerit. *Chrys. in hom.*

9. Puritas innocentie conservata, fons est et origo omnis scientie et virtutis. *Hugo.*

10. Innocentia est puritas animi, omnem injurie illationem abhorrens. *Tull. de Offic.*

11. Triumphus innocentie est, non peccare, ubi liceat: in quem plus potes peccare desine. *Seneca in Proverb.*

12. In malis sperare bonum, nisi innocens nemo solet. *Ibidem.*

13. Innocentia per gradus certos ab homine dicitur, et ne in maximis trepidet audacia, diu vires in minoribus colligit. *Quint. Declar.*

Vide etiam in lit. Conscientia, núm. 18, 25. in lit. Conversatio, núm. 16. in lit. Honestas, núm. 2 in lit. Solitudo, núm. 26.

INSTABILITAS.

1. Jam quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, ut noverit non sue facultatis, sed divini muneris esse. Vel quod scit, vel quod delectatur, et sic ab elationis vanitate sanetur: et sciat quod vere non de ista terra, sed spiritualiter dictum sit: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra, etc. Aug.*

2. Tanto autem magis delectatur opus bonum quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum. *Aug. de pecc. mer. et remis.*

3. Tria sunt, quae vagam mentem stabilem faciunt, vigilia, meditatio et oratio: quarum assiduitas, et jugis intentio confert animae stabilem firmitatem. *Joan. Cass.*

4. Stabilitas est mentem fixam obtinere, nulla locorum, vel temporum varietate, in diversa jactare. *Hugo.*

5. Vir est, qui contra bifformes fortunæ eventus,

uniformi mentis constantia militat præmunitus. *Tull.*

6. Maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, et inter simulationem virtutum, et amorem vitiorum assidua jactatio. *Senec. in Prov.*

7. Diversitas est vitium et signum vacillantis animi, ac nondum habentis vigorem suum. Nemo proponit sibi, quod velit: nec si proposuit, perseverat in eo, sed transilit, nec tantum mutat, sed redit: et in ea, quæ deseruit ac damnavit, revolvitur. Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle: non potest idem semper placere, nisi rectum. Variatur quotidie iudicium et in contrarium vertitur: ac plerisque agitur vita per usum. *Senec. in epist.*

8. Nec peregrinatione longa, nec locorum varietatibus, tristitiam mentis gravitatemque discuties, animum debes mutare, non cælum, licet vastum trajeceris mare, sequuntur enim te, quocumque perveneris, vitia. Quid miraris tibi peregrinationes non prodesse, cum te circumferas? premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas potest? Quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista jactantia. Onus animi deponendum est: non ante tibi ullus placebit locus. Vadis huc et illuc: nisi excutias, incidēs pondus, quod ipsa jactatione incommodius sit: sic in navi, onera immola minus urgent inæqualiter convoluta: citius eam partem, in quam incumbere demergunt motu ipso tibi nocēs: agrum enim concutis, in ultimas expellis terras: licet, magis qui veneris, quam quo, interest. Bene vivere omni loco positum est. *Ibidem.*

9. Mutare loca, et in alium de alio transire nolo. Frequens migratio, instabilis est animi. Ut animum possis continere, primum corporis fugam siste deinde plurimum remedia continuata proficiunt: sine desistere oculos tuos: sine aure assuescere sanioribus verbis, quoties processeris, aliqua, quæ remouent cupiditates occurrent. *Ibidem.*

Vide etiam in lit. Conversatio, núm. 37.

INTENTIO.

1. Quod non bona intentione facis non tibi proderit: quia quomodo feceris, non quomodo illi evenit, tibi imputabitur. *Aug. tractans ill. Matth. 6. Si lumen, etc.*

2. Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, et terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulneravit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens, mens reproba intentione polluat. *Greg. in moral.*

3. Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia talia foris audiuntur, qualia ex intimis proferuntur. *Greg. 22. mor.*

4. Omni cura servandus est à malitiæ pulvere oculus cordis: ne hoc, quod in actione rectum hominibus ostendit, apud semetipsum per vitium elationis intorqueat. *Ibidem.*

5. Valde laboriosum est custodire, ne mala homo facere audeat: ne in bonis actibus per intentionem titubet: et inter recta opera sinistra cogitatio illudat. *Greg. lib. 11. moral.*

6. Sicut fabrica columnis, columnæ autem basi-bus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. *Greg. in mor.*

7. Tunc solum Deo vera obsequia reddimus, quum eum propter amoris fiduciam non timemus, quum nos ad bona opera affectus, non metus dirigit: quum malum nostræ menti non placet, non est sensus in crimine, sed affectus. *Ibidem.*

8. Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria: charitatem in intentione, et veritatem in electione: quomodo denique simplex erit oculus, cum ignorantia veritatis ejus qui bonum diligit, et malum nescius agit? hujus bonus est quidem oculus, quia pius, non tamen simplex, quia cæcus.

Et est qui bonum et libenter agit, et prudenter intelligit. Illius vero oculus non immerito simplicem dixerim: utpote cui neutrum bonum desit: nec zelus scilicet bonus, nec scientia: is vero oculus nequam est, qui perversus pariter et cæcus bonum agit, et malum credit. *Bern. de præc. et dispens.*

9. Bonum prorsus condemnat intentio prava, et non penitus excusat recta. *Bern. ibid.*

10. Sicut oculus simplicem duo ista faciunt bona, amor boni, et cognitio Dei, sic nequam oculus duo è regione mala constituunt: cæcitas, qua fit, ut veritatem non agnoscat: et perversitas, qua fit, ut diligat iniquitatem. *Bern. de Confess.*

11. Causa actum poterit decorare si aut necessitate subsistat, aut utilitate vigeat, aut honestate splendescat, aut cum affectu mentis tota valeat substantia operis tolerari: opus non ex se, sed ex causa fit crimen: nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet. *Chrys. in tract. de symb.*

12. Nihil interest quo animo facias, quod vitiosum est fecisse, quia facta cernuntur, animus vero non videtur. Nulla enim laus est non facere quod facere non possis. *Senec. de mor.*

Vide etiam in tit. Cor, núm. 8. in tit. Eleemosyna, núm. 2, 24, 30. in tit. Excusatio, núm. 3. in tit. Exemplum, núm. 9. in tit. Hypocrisis, núm. 12, 50. in tit. Jactantia, núm. 6, 7. in tit. Loquacitas, núm. 13. in tit. Relinquere, núm. 15.

INVIDIA.

1. Invidia est filia superbiæ: sed ista mater superbia nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit: suffoca matrem, et non erit filia. *August. de ver. Dom. super Matth.*

2. Invidia vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est et inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur ut damnetur, adulterium commissisti: furtum fecisti: villam alienam rapuisti, sed homini stanti invidisti. *Aug. lib. 1. de doctr. Christ.*

3. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo: tollam invidiam, et meum est quod habes. *Aug. sup. Joan.*
4. Invidia est odium alienæ felicitatis: respectu superiorum, quia eis non equatur: respectu inferiorum, ne sibi æquantur: respectu parium, quia sibi æquantur. Unde Cain invidit, Abel prosperitati. Rachel Liæ sæcunditati, Saul David felicitati. Per invidiam procuratus est lapsus mundi, et mors Christi. *Aug. in quodam. serm.*
5. Oro te, quid invidio delectationis præstat invidia? quem secretis quibusdam constientiæ unguis livor ipse discerpit: et alienam felicitatem tormentum facit? *Hier. in epist. ad Demetr.*
6. Parvulus est, qui invidia occiditur: quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret: sed inter hæc sciendum est, quod quamvis per omne vitium, quod perpetratur humano cordi, antiqui hostis viis infunditur. In hac tamen nequitia sua tota viscera serpens commovit, et imprimendæ malitiæ pestem vomuit. *Greg. lib. 5. moral.*
7. Evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, etiam inimici ruina nos lætificet: et rursus ejus gloria, sine invidiæ culpa contristet, quia per hoc quosdam bene erigi credimus: et proficientes illos plerosque injuste oprimi formidamus. *Greg. 52. moral.*
8. Invidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescent: fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Nam quum invidi mentem livor exerceat, bonum quod appetit, sibi ab alio adimi, aut restringi metuit: qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat. *Greg. in moral.*
9. Nil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena: et quanto operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis livore profundius suffoditur: ut quo alii ad meliora properant, eo ipso deterius ruant. *Greg. lib. 3. moral.*

10. Tanto quisque plus invidet aliis bona præsentia, quanto minus ea ipse contempserit. *Ibidem.*
11. Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris exitantur: et bona nascentia quæ nolunt imitari, persequuntur. *Ibidem.*
12. Non est congruum quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulis invidere qui sunt omnibus honoribus pulchriores. *Plin. Jun. l. 5. epist.*
13. Quemadmodum columna, si recta fuerit, accepto pondere amplius confirmatur, si autem modice obliquata fuerit, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: sic et cor hominis, si fuerit rectum, videns opera viri justii, audiens doctrinam sapientiæ ejus, amplius confirmatur. Sed si cor perversum fuerit: non solum non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. *Chrys. super illud Matth. 21. Indignati sunt.*
14. O invidia, quæ semper sibi es inimica: nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit, illi autem cui invidet, gloriam parit. *Chrys. super Matth.*
15. Tantos invidus habet justæ pœnæ tortores, quantos invidiosus habuit laudatores. *Prosp. lib. 4. de vitiis et virtutib.*
16. Invidia in suum auctorem reciproca, est de bono alterius tabescentis animi cruciatus. *Ibidem.*
17. Invidia justius nihil est, quæ prolinus ipsum auctorem perimit excruciatque suum. *Ibidem.*
18. Huic scilicet invidio vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, in dentibus stridor, verba rabida, et effrænata convitia, et manus ad violentiam prompta, juxta illud Poëtæ: Pallor in ore sedet: macies in corpore toto. Non recta est facies: livent rubigine dentes. Pectora felle virent: lingua est suffossa veneno. Risus abest: nunquam poteris nisi ferre dolo es. *Pet. Rav.*
19. Virum fortem excitat ad virtutis exercitium alieni livoris aculeus, nec mentis oculos torquere permittit. Invidia detractus Jacob, qui in baculo suo Jordanem transierat, non rediisset cum duabus turmis,

nisi eum invidia Esau agilasset. Joseph non imperasset Ægypto, nisi fratrum invidia ipsum vendidisset. Scriptum quippè est: Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet. *Ibidem.*

20. Si quis in torrente divitiarum natat, cum Crasso opes spargit: cum Cicerone in specie disputat, cum Platone Philosophiam facie ad faciem speculatur: cum Hippolyto castitatis speculo sigillatur: in hunc omnes suarum detractionum acervos expendit. *Alanus de complanctu naturæ.*

21. Invidis aliena prosperitas adversa, aliena adversitas prospera judicatur: hi in aliena gratulatione tristantur, in aliena tristitia gratulantur. Isti suas in alienæ paupertate divitias: suam paupertatem in alienis divitiis metiuntur. Isti autem alienæ famæ serenitatem detractionis nubilo, nubilare conantur, aut ejusdem gloriam sola taciturnitate furari. Isti autem puram alienæ probitatem, synceritatem fermentant, aut veris falsitatis fermenta maritant. Sapientiæ gloriam degloriat livor inglorius. *Alan. ibid.*

22. Invidia quod monstruosius monstrum? aut quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalisior pœna? hæc est erroneæ cæcitatibus abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus. Quid sunt invidiæ motus, nisi humanæ tranquillitatis hostes, mundanæ tentationis satellites, animi laborantis vigiles hostes, alienæ felicitatis excubiæ? *Ibidem.*

23. Si quis ergò livoris rubiginem, invidiæ tineam à mentis thesauro velit proscribere, in alieno dolore suum dolorem inveniat condolendo, alienum gaudium suum faciat congaudendo: in alienis opibus suas penset divitias, in aliena paupertate suam lugeat paupertatem. *Alan. ibid.*

24. Nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit: divites enim sunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus immortales funeribus. Unde quidam interrogatus, quomodo invidios non haberet? respondit: Si nihil, inquit, ex magnis rebus ha-

bueris, aut nihil feliciter gesseris: nam sola miseria caret invidia. *Val. Max. lib. 4.*

25. Africano justitia virtutem, virtus gloriam, gloriosa æmulatione comparavit. *Tull. 2. Rhet. sua.*

26. Virtutis comes invidia plerumque bonos insectatur. *Tull. 4. ad Here.*

27. Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si sciveris in sinu gaudere. *Senec. 47. epist.*

28. Etsi non multos inimicos tibi faciat injuria, multos tamen faciet invidia. *Senec. de mor.*

29. Homo sum, quomodo devitabo secularium rerum invidiam? Facilius est pauperi contemptum effugere, quam diviti invidiam. *Senec. ibid.*

30. Utinam invidi oculos haberent in omnibus civitatibus, ut de omnibus felicitatibus torquerentur: nam quanta felicium sunt gaudia, tanti invidorum sunt gemitus. *Ibidem.*

31. Venenum quod serpentes in alienam perniciem effundunt, sine sua continent: non ita vitium invidiæ continetur, nam invidum torquet et macerat, bona odit et extenuat: injurias vero dilatat atque auget. *Senec. in epist.*

32. Nunquam melius torquebis invidios quam virtuti et gloriæ serviendo. *Senec. ibid.*

33. Invidia tacite sed inimice irascitur. Invidiam ferre aut fortis, aut felix potest. *Ibid.*

34. Si non invideris, major eris: nam qui invidet, minor est. Scito quid est invidia: Dolor est animi ex alienis commodis. Scito etiam et illud, quod nulli invidet vir bonitate præditus. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Detractio, núm. 20, 33, 37. in tit. Discordia, núm. 14. in tit. Labor, núm. 12. in tit. Malitia, núm. 8, 9. in tit. Miseria, núm. 9. in tit. Potestas, núm. 1. in tit. Prædestinatio, núm. 11, 12. in tit. Vitium, núm. 3, 8.

IRA.

1. Ira est, quod quum inest opinio turbulenti ap-

petitus inferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt: idcirco plerumque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus, et aleatores lesseris, et pictores penicillo, et cuicumque instrumento quilibet ex quo difficultatem se pali arbitratur: ac etiam assiduitate irascendi, fel crescere etiam medici affirmant, cremenlo autem fellis rursus et facile et prope nullis causis existentibus irascimur. *Aug. in ep. ad Neron.*

2. Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. *Aug. in epist.*

3. Si tantum irascendum est sapienti, quam scelerum indignitas exigit, non irascendum est, sed insaniendum. *Senec. lib. 2. de ira.*

4. Furor est ira brevis, quæ non tam ex malitiæ proposito, quam eventu subito contingit. *Aug.*

5. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitur, *qui fratrem suum odit, homicida est*: quicumque convitio vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione, quam citius curare, quod fecit: et ille qui læsus est sine deceptione dimittere. Si autem se invicem læserint, invicem sibi debita relaxare debent, propter orationes vestras quas ulique quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis. *Ibidem.*

6. Melior est autem, qui quamvis ira sæpe tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur et ad veniam petendam tardius inclinatur: qui autem nunquam veniam petit, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur. *Ibidem.*

7. Ira fratris si fuerit inveterata, jam odium est. Ira turbat, odium exlinguit: ira festuca, odium trabs est. *Aug. super psalm. 54.*

8. Iram fratris tunc portabis, quum tu adversus

eum non irascaris, ut rursus eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate suppetel. *Aug. de verb. Apost.*

9. Nulli irascenti ira sua videtur esse injusta. Ira enim inveterascens ita fit odium, dum quasi justis doloris admista dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat. *Aug. ad Dioscor.*

10. Resiste iræ, si potes: cede, si non potes. Si prævenerit, et præoccupaverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in te, non relinquant locum tuum: locus tuus patientia est. *Ambros. de offic. lib. 2.*

11. Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius, quam animo non commoveri. Hoc nostrum est, naturæ illud. *Ambros. ibid.*

12. Irascimini, ubi est culpa, cui irasci debeatis: non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveatur: alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio judicatur. *Ibidem.*

13. Qui sibi irascitur, quia cito motus est, definit irasci alteri: qui autem vult iram suam probare justam, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. *Ibidem.*

14. Est ut passio gravissima, culpa conscientia, quam ratio emollit et comprimit: emolliri enim potest, eradicari non potest, quoniam animus, qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed reprehensor, neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur. Sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, à puniendo se revocet, sicut et propheta nos docet, dicens: *irascimini, et nolite peccare*, concessit, quod naturæ est, negavit, quod culpæ est. *Ambros. de Jacob et vita bea. lib. 1.*

15. Non iræ imperat, sed indulget naturæ, quam homo prevenire non potest, mitigare potest. Igitur et si irascimur affectus noster motum recipiat, sed naturam, non peccatum præter naturam. *Amb. ad Vercell.*

16. Præclarum est, motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, in-

dignationemque compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud levius, istud fortius aestimetur. *Amb. super Luc. lib. 5.*

17. Incendium ad male operandum aut iracundia, aut cupiditas esse consuevit. *Amb. de paradiso.*

18. Est ira, quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima, menti suæ vim eripit, in tantum, ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. Recte illud laudatur Architæ Tarentini, qui cum villico suo iratus: Jam te, inquit, cæderem, nisi iratus essem. *Hier. super Joel. prop.*

19. Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitalum stimulis conscientia ira ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur? *Hieron. ad Demetr. virginem.*

20. Per iram sapientia perditur, ut quid, quoque ordine agendum sit, nesciatur. *Greg. lib. 5. moral.*

21. Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silentium dicit, ut qui se foris per linguam non exprimit, intus deterius ignescit: ut iratus quisque colloquutionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo, quam sit adversus dicat. *Ibidem.*

22. Plerumque per silentium clausa ira intra mentem vehementius aestuat, et clamoras lacita voces format. Verba sibi, quibus exasperetur objicit, et quali in causâ examine posita durius exasperata respondet. *Ibidem.*

25. Quanta sit iracundia culpa pensare possumus, per quam patientia perditur: ut quid, quoque ordine sit agendum omnino nesciatur, quia nimirum intelligentia lucem ira subtrahit, quum mentem promovendo confundit. *Ibidem.*

2. Per iram justitia relinquitur: quia dum perturbata mens, iudicium sine ratione exasperat omne quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur: quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur: per iram concordia rumpitur: per iram lux veritatis amittitur: quia quum

menti iracundia confusionis tenebras inculit, huic Deus, radium suæ cognitionis abscondit. *Ibidem.*

27. Per iram spiritus sancti splendor excutitur, quia super humilem et quietum requiescere dicitur: quia quum ira quietem subtrahit, suam spiritui sancto claudit habitationem: cujus recessione animus vacuus ad apertam morum insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. *Ibidem.*

28. Plus sæpe ira in vindicta exigit, quam injuria accipit. Ira quum delinquentium culpas insequitur, non debet menti quasi domina præire, sed post rationis tergum quasi ancilla famulari. *Greg. in moral.*

29. Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. Quum tranquilla mens fuerit, fac quod placet. *Ibidem.*

30. Nam iræ suæ stimulis accensum, cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperant oculi, et nequaquam recognoscuntur: nolentem quidem clamorem format, sed intus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptiis longe est, qui actionis suæ conscius non est. *Greg. lib. 5. moral.*

31. Aliquando iracundus manus non erigit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit, fratri namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expellit. *Ibidem.*

32. Alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus formidat, illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Ira per vitium oculos mentis excæcat: ira autem per zelum turbat. Si nobis et proximis delinquentibus irascimur, non peccamus: si enim sic proximos, ut nos amare præcipimus, restat ut sic eorum erroribus, sicut nostris vitiis irascamur. *Ibidem.*

33. Mentis furore ebria omne, quod rectum dicitur, perversum videtur. *Greg. super Ezech.*

34. Non irasci ubi irascendum est, et nolle emendare, peccatum est. Plus vero irasci, quam irascendum est, peccatum peccato addere est.

35. Si non potes iram vitare, tempera: si non

poles furorem cavere, cohibe. Tene silentium patientiæ, tacendo citius vincis. *Isid. lib. 1. solilog.*

36. Non commoveri, malum est, sed irrationabiliter nulloque negotio justo flagitante commoveri. *Chrys. de laudibus pan. ho. 6.*

37. Non dolere, quia peccaveris, magis indignari atque irasci facit Deum, quam idipsum quod ante peccaveras. *Chrys. super Matth. homil. 25.*

38. Coercere omnino nequid animus prava semel voluntate vitiat: quia zelus sapere nescit, et ira consilium non habet. *Chrys. super Matth. 2.*

39. Reges siquidem, quum ex aliis causis irascuntur, citò placantur: illa autem ira eorum est inexlinguibilis, quam regni zelus accendit. *Ibidem.*

40. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causa non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat: negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam bonos ad malum invitat. *Chrys. super illud Matth. 5. Qui irascitur fratri.*

41. Qui cum causa irascitur, non fratri suo irascitur, sed vitio: qui vero irascitur fratri, respiciendo ad naturæ communionem, vel fidei unitatem, reus erit iudicio. *Valer. ibid.*

42. Hæc est natura iræ, ut dilata languescat, et pereat: prolata vero magis ac magis conflagret. *Beda super Para. lib. 2.*

43. Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem. *Cass. super Psa. Irascimini et nolite pec.*

44. Ubi est fervida vindicta, non est temperata iustitia. *Ibidem.*

45. Motum siquidem animi fervidum propter humanam fragilitatem in potestate habere non possumus: suffragante lamen gratia Dei, ratione disciplinandi continemus: nam si irascamur, nec Dei consideratione refrænemur, sed à voto nostro impediamur aliquo necessitalis objectu, tunc utique constat nos facti crimen portare, etiamsi non possumus quod volebamus efficere. *Cass. super Matth.*

46. Ira est subita animi tempestas, quæ dum inordinate se conculit, cor hominis ad insaniam se protrahit. *Hugo.*

47. Irasci, rationis est: auferuntur enim delicta, et refrenatur licentia, quod utique juste, sapienter utique fit. *Lactan. de ira.*

48. Nam ab iratis si perspicuè pax et benevolentia aperitur, non modo ea non invenitur, sed etiam augetur odium atque inflamatur. *Tull. in prolog. rhet.*

49. Crudelitas, horridus habitus, truculenta species, violenti spiritus, vox terribilis, cui silentium dare, incrementum est adjicere: etenim quomodo sibi ipsa statuet, si non suggillationis quidem frænæ fuerit revocata? *Val. Max. lib. 8.*

50. Immodica ira gignit insaniam. Hæc ardescit, affectus ex amore potius, quam ex odio nascitur. Non vivimus minus inter seria, quam inter lusus et jocos, nec interest ex qua magna causa nascatur, sed in qualem perveniat animum. Sic ignis non refert, quam magnus, sed quo incidat. Ingentis iræ exitus furor est, et ideo ita vitanda est, non immoderationis causa, sed sanitalis. *Senec. lib. de ira.*

51. Nihil inter insanum et iratum est, non unus dies, alter semper insanit, alter semper irascitur. *Ibidem.*

52. Iracundia infelicitas geminatur. Iracundus quum irasci desiderit, tunc irascitur sibi, respicere nihil consuevit iracundia. *Senec. in prov.*

53. Quo minus presseris iram, eo ab ira magis premeris: tunc enim incipimus aliis irasci, quum nobis desinimus. Finis namque iræ, initium est penitentia. *Ibidem.*

54. Ad bonum virum cito moritur iracundia, breve amans, est ipsa iracundiæ memoria. Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia, gravissima est probi hominis iracundia, gravis tamen poena est, quem post facti peccat. *Ibidem.*

55. In amore semper mendax iracundia est. Iratum breviter vites, inimicum diu. Iracundiam qui vin-

cil, hostem superat maximum: iratus etiam facinus consilium putat: si quis irascitur ab alio, pœnas à se exigit. *Ibidem*.

56. * Prohibenda est maxime ira in puniendo, nunquam enim qui iratus accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum: cavendum est igitur ne mane major sit pœna, quam culpa. *Cic. 1. Offic.*

57. * Semper ira procul absit, cum qua nihil recte, nihil considerate fieri potest, quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea ne constanter fieri possunt, nec ab iis qui absunt probari. *Ibidem*.

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 20. in tit. Convitium, núm. 6, 7, 9. in tit. Correctio, núm. 4, 25, 44, 57, 86. in tit. Crudelitas, núm. 3, 4, 5. in tit. Discordia, núm. 9. in tit. Jejunium, núm. 33. in tit. Malitia, núm. 12. in tit. Mansuetudo, núm. 7. in tit. Misericordia, núm. 3. in tit. Mors, núm. 3, 10. in tit. Odium, núm. 3, 4, 5, 6. in tit. Patientia, núm. 1, 2. in tit. Suspicio, núm. 5. in tit. Venia, núm. 9. 16. in tit. Vitium, núm. 3.

JACTANTIA.

1. Animadvertendum est, non solum rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus lutosus esse posse jactantiam, et eo periculosiorem, quo sub specie servitutis Dei decipit. *Aug. de serm. Dom. in monte*.

2. Jactantia non est vitium laudis humanæ, sed vitium animæ perversæ amanti humanam laudem, spreto testimonio conscientiæ. *Aug. lib. 12 de civ. Dei*.

3. * Jactantia non tantum in pompa et nitore sed etiam in sordibus est. *Aug. lib. 2. de verb. Domin.*

4. Hostes ad rapinam provocat, qui suas eorum notitia divitias denudat. *Gr. mor.*

5. Si vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, et tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse quum fe-

ceris, et plenissime cuncta fecisti. *Chrys. super Matth.*

6. Dum causa jactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum convertitur. *Isid. de sum. bon.*

7. Occulta, quod agis, in quantum vales: quod si ex toto non vales: sit in animo occultandi voluntas, et non erit de ostentatione ulla temeritas. *Isid. de conflictu vitiorum*.

8. * Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari finclus, nisi sceleratus appareas. *Bern. super Cant. serm. 1.*

9. Nihil est quod magis diminuat laudis præconium, quam suos assidue jactare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. Legitur de Mario, quod cum plurima fecisset egregie, una sui jactatione gloriam famæ perdidit, et quia sibi præsumpsit ascribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit. *Val. Max. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Consideratio, núm. 8, 13, 14. in tit. Eleemosyna, núm. 1, 2. in tit. Gloria vana, núm. 8, 19, 22. in tit. Mors, núm. 29. in tit. Ornatus, núm. 2. in tit. Sapientia, núm. 28. in tit. Superbia, núm. 38, 40.

JEJUNIUM.

1. Jejunium magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium. *Aug. super Joan.*

2. Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitas vero lumen accendit. *Aug. in serm. de jejunio*.

3. Jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat: superbiam spernit: humilitatem commendat: præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum, et fragile. *Aug. ibid.*

4. * Jejunia et eleemosynæ orationem juvant. *Aug. epist. 421.*